Ph

Kochnowski Melchioris: Quaestio de principiis rerum naturalium. Titulus: Possessio loci inter Ordines Acad. etc.

POSSESSIO
Loci inter Ordines Academicos assignati
Ex Decreto Iustitiæ Distributivæ
Per
MAGNIFICUM PERILLUSTREM & REVERENDISSIMUM DOMINUM
M. MICHAELEM DUNCZEWSKI
Sacræ Theologiæ Doctorem & Professorē, Chełmensem & Zamoscensem CANONICUM, PRÆPOSITUM Starozamoscensem, Actorum Diecœsis, Chełmensis Notarium Vniversitatis Vigilantissimum
RECTOREM.
TRADITA
à me vero
M. MELCHIORE KOCHNOWSKI
Philosophiæ Doctore Eloquentiæ Ordinario Professore CANONICO Zamoscensi Notario Apostolico
Sub Tempus Condescensionis Magnorum Hospitum
pacificè
RECEPTA.
& ad perpetuam rei memoriam
Protocollo Conclusionum, Responsionem consvetam pro eodem Loco ex solventium, à totoq; Collegio Academico per interrogatoria oppositorum argumentorum sufficienter ventilatarum.
Pennâ Oratoriâ
INSCRIPTA.
Annô Domini 1747 Die Mensis Iulij
TYPIS VNIVERSITATIS ZAMOSCENSIS.

PERILLVSTRIBVS ac MAGNIFICIS DOMINIS.

DOMINO DOMINICO

IN STOIESZYN

STOINSKI

Iudici Terreſtri Lublinenſi.

DOMINO VICTORINO

IN WERESZCZYN

WERESZCZYNSKI

Iudici Terræ Chełmenſis.

DOMINO IOSEPHO

IN ŁOPUSZE

ŁOPUSKI

Notario Caſtrenſi Chełmenſi.

DOMINIS PATRONIS. COLENDISSIMIS.

PERILLVSTRES ac MAGNIFICI 66
DOMINI PATRONI COLENDISSIMI.

AD Iudices cum Codice venio, Conditoribus Regum & Legum, Quæstionis defero Statum, Conclusionem ex Decretalibus Vestris ad Possesione inter Academicos capiendam exploraturus. *JVDICES CLEMENTISSIMI*. Non etenim securitati meæ sanius consulere poteram, quam dum me Vestro licet inconsultus subjecerim arbitrio, ad Vosq; *Clypeis* STOIENSCIANIS armatos, *Fluminum* VERESZCZYNIANORVM procellis vallatos *Crucibus Soleisq;* ZOPVSCIANIS stipatos circa Traditione Loci recurrerim. sub quorum Præsidio Pacificus evaderem Possessor. Equidem in Vobis Fortibus Armatis & Orbi Polono in pace sunt omnia: ubi sinuatus in Argonavim *Clypeus* per trina provectus *Flumina* bonis *Avibus* & manuducente *Cruce* etiam ad Cæsarum Fortunas deferendas protegendasq; natus. Crescant alienis Regnis cum fortuna infortunia, quæ ut illis scopulos ponat, invidos oculos quærit, favoribus opponit furores, pro arrisu, excitat irrisum, pro pace, litigioru accedit facem, & sic & munera & funera & cumulos & tumulos suis Dominijs confert. A Bono Lechiæ *Clypeus* reprimit hostem, Pyratæ

 in

in *Aquis* expirant, adverſa *Solis* fugãtur: Ideo & mea Loci Academici Poſſeſsio ſecura, tantis Defenſoribus ſuffulta, qui velut Ioves, nõ tantum in humero, ſed & Homero Veſtrã feciſtis potentiam non tantum ſtatura corporis ſed etiam ſtatera mentis, ampliores meritorũ cubitos ad Statum Reipublicæ addidiſtis. Ipſe Frontiũ Veſtrarũ Nubes, Civibꝰ amabiles, hoſtibꝰ formidabiles, his ſerenitatẽ illis tẽpeſtatẽ portẽdunt. Ex Alto oculorũ veſtrorũ ſola proſpicit Iuſtitia Sydera in probos, fulmina in ſceleratos comminando. In Veſtro ore Pax & Iuſtitia oſculantur, ut Gentem ad tranquillitatem componãt, candor evulget concordiam concordia proliciat ſinceritatem, ſinceritas catenet amciitias & amicitia omnem in Republica diſſeminet beatitudinem. Huic ergo Veſtræ Themidi non ſolum mea ſe ſe concredit inplauſũ Poſſeſsio, ſed etiam votorum Academicorum re ſerantur arcana nempe; ut in Satera appoſiti Iuſtitiæ inventiq; multa habere, verſus altum elevemini Honorum donec poſt longos ſæculorum dies gravioribus præponderati annis transferatis Vos ad Gloriæ ſedem, duodecim Tribus Iſràél Iudicaturi.

A. O.

QUAESTIO

De Principijs Rerum Naturalium

U. Assignatis & definitis à Philosopho Rerum naturalium Principijs, attenta ratione contrarietatis quam inter se habent, conveniat ratio principij univocè nec nè?

CONCLUSIO I.

Principia Compositi Substantialis in fieri, seu generationis, sunt tantùm tria: Materia, Forma, & Privatio.

COROLLARIA

1. Principia Rerum Naturalium non sunt infinita.
2. Principium Rerum Naturalium non potest esse unum.
3. Principia Rerum Naturalium in facto esse seu Compositionis sunt duo, S. Materia & Forma.
4. Tria enumerata Principia neq; numero neq; specie neq; genere differunt.
5. Enumerata Rerum Naturalium Principia differunt secundùm Analogiam.

CONCLUSIO II.

Principia Rerum Naturalium sunt, quae

610.

neq; fiunt ex alijs, neq; ex alterutris, sed omnia ex ipsis.

COROLLARIA.

1. Definitum hujus Definitionis sunt Principia entis naturalis, ut abstrahit à corruptibili & in corruptibili.
2. Allata Definitio Principiorum convenit tam Principijs in facto esse, quam in fieri.
3. Definitio Principiorum omnibus Principijs est communis, hoc est tam Physicis, quàm Metaphysicis & Artificiatis.
4. Falsa est Sententia Zabarellæ docentis, ex Privatione per accidens componi Res naturales, hoc est ratione Materiæ cui accidit.
5. Ex Privatione & Materia fieri per se Compositum non quidem positivum sed Privativum etiam nulla tenus potest.

CONCLVSIO III.

Principia Rerum Naturalium in fieri sunt prima Contraria, non quidem ratione Materiæ, sed ratione formæ & Privationis in Materia.

COROLLARIA.

1. Principia Rerum Naturalium non sunt contraria verá & propria contrarietate.

2. Prin:

671.

2. Principia Rerum Naturalium sunt contraria contrarietate impropriè dicta.
3. Principia Rerum Naturalium in facto esse non sunt prima Contraria.
4. Conditiones Principiorum Physicorum sunt 4or. 1ma. ut Principia sint prima. 2da. ut sint intrinseca, 3tia ut sint per se, 4ta ut sint Vniversalia & prima contraria.
5. Principia Rerum Naturalium quamvis non à priori, nihilominus à posteriori possunt probari à Physico supposita rerum naturalium transmutatione.

CONCLVSIO. IV.

Essentia seu ratio Principij nõ convenit univocè Materiæ, Formæ & Privationi.

COROLLARIA.

1. Si hæc Principia sumantur ut sunt omnibus Cathegorijs ac Prædicamentis communia, non habent rationem aliquam communem univocam.
2. Ratio Principii ut est communis Principijs substantialibus & accidentalibus, est analoga secundum proportionalitatem.
3. Ratio Principii de Materia, Forma, & Privatione, ut in sola Cathegoria substantiæ contentis, dicitur secundùm Analogiam attributionis.
4. Ratio Principij de quolibet Principio sigillatim & seorsim sumpto dicitur univocè, hoc est de solis materijs omnium corporum Superiorum & inferiorum, ratio Materiæ dicitur univocè. Simi-

liter ratio formæ de omnibus formis & ratio Privationis de omnibus privationibus.

5. Rationem Principij dici univocè de quolibet Principio nihil aliud est nisi ex æquo competere omnibus Principijs id quod competit ipsi principio in communi sumpto.

Ad M. D. G. H. B. V. M. & B. I. C.

& OO. SS. CVLTVM & VENERATIONEM.